

- CL.* Nullast tam facili' res quin difficilis siet, 805  
 quam invitu' facias. vel me haec dēambulatio,  
 quam non laboriosa, ad languorem dedit.  
 nec quicquam mage nunc metuo quam ne denuo  
 5 miser aliquo extrudar hinc, nē ācedam ad Bacchidem.  
 ut te quidem omnes di deae[que] quantumst, Syre, 810  
 cūm īstoc invento cumque incepto perduint!  
 huiu' modi mihi res semper comminiscere  
 ubi me excarnufices. *SY.* is tū hinc quo dignus es?  
 10 quam paene tua me perdidit protervitas!  
*CL.* vellem hercle factum, ita meritu's. *SY.* meritu'? quo 815  
 modo?  
 ne mē īstuc ex te prius audisse gaudeo  
 quām ārgentum haberet quod daturu' iam fui.  
*CL.* quid igitur dicam tibi vis? abi*(i)*sti; mihi  
 15 amicam adduxti quam non licitumst tangere.  
*SY.* iam non sum iratu'. sed scin ubi sit nunc tibi 820  
 tua Bacchis? *CL.* apūd nos. *SY.* non. *CL.* ubi ergo?  
*SY.* apūd Cliniam.  
*CL.* perii. *SY.* bono animo es: iam argentum ad eam deferes  
 quod ēī pollicitu's. *CL.* garris. unde? *SY.* a tuō patre.  
 20 *CL.* ludis fortasse me? *SY.* ipsa re experibere.  
*CL.* ne ego sum homo fortunatu': deamo te, Syre. 825  
*SY.* sed pater egreditur. cavē quicquam admiratu' sis